Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitialen

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

ubi constituerat illis ihesus. Et videntes eum
adoraverunt. quidam autem dubitaverunt. et acce
dens ihesus locutus est eis dicens. Data est
michi omnis potestas in celo et in terra. Eun
tes ergo docete omnes gentes. bapti
zantes eos in nomine patris et filii et spiritus
sancti. docentes eos servare omnia quecumque
mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum
sum omnibus diebus usque ad consumma
tionem seculi. Explicit evangelium Mathei. Incipit
Prologus in evangelium sancti Marci.

Marcus evangelista
dei et petri in baptismate
filius. atque in
divino sermone
discipulus. sacer
dotium in israel agens
secundum carnem levita. conversus ad fidem
christi evangelium in italia scripsit. ostendens
in eo quid generi suo deberet et christo. Nam
initium principii in voce prophetice excla
mationis instituens ordinem levitice
electionis ostendit. ut predicans predesti
natum iohannem filium zacharie in voce
angeli annuntiantis emissum. non so
lum verbum caro factum. sed et corpus domini in to
† initio per verbum divine vocis animatum in † evangelice
predicationis ostenderet. ut quis hec legens
sciret. cui initium carnis in domino et ihesu
advenientis habitaculum caro deberet
agnoscere. atque in se verbum vocis quod in
consonantibus perdiderat inveniret. Denique
et perfecti evangelii opus intrans. a baptismo
domini predicare incohans. non laboravit
nativitatem carnis quam in prioribus vi
derat dicere. sed totus expimens expo
sitione deserti. ieiunium numeri. temptatio
nem diaboli. congregationem bestiarum. et mi
nisterium protulit angelorum. ut instru
ens nos ad intelligendum singula in bre
vi compingens. nec auctoritatem facte rei
demeret. et perficiendi operis plenitudinem
non negaret. Denique amputasse sibi post
fidem pollicem dicitur. ut sacerdotio repro
baretur. Sed tantum consentiens fidei predesti
nata potuit electio. ut nec sic in opere ver
bi perderet. quod prius meruerat in genere. Nam
alexandrie episcopus fuit. Cuius per singula
opus scire et evangelii in se dicta disponere.
et disciplinam in se legis agnoscere. et di
vinam in carne domini intelligere naturam.
que in nos primum oportet inquiri. deinde inquisi
ta volumus agnosci. habentes mercedem
exhortationis. quoniam et qui plantat et qui
rigat unum sunt. qui autem incrementum
prestat deus est. Explicit prologus. Incipit
evangelium sancti Marci.

Initium evangelii ihesu christi filii dei.
Sicut scriptum est in ysaia pro
pheta. Ecce mitto angelum meum
ante faciem tuam. qui prepa
rabit viam tuam ante te. Vox
clamantis in deserto. Para
te viam domini. rectas facite se
mitas eius. Fuit iohannes in de
serto baptizans. et predicans
baptismum penitentie in remissio
nem peccatorum. Et egrediebatur
ad illum omnis iudee regio.
et ierosolimite universi. et bapti
zabantur ab illo in iordane flumine confi
tentes peccata sua. Et erat iohannes vestitus
pilis cameli. et zona pellicea circa lumbos
eius. et locustas et mel silvestre edebat.
Et predicabat dicens. Venit fortior me
post me. cuius non sum dignus procumbens
solvere corrigiam calciamentorum eius. Ego bap
tizavi vos aqua. ille vero baptizabit vos